



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Qua ratione Ecclesia, vel ejus loco parochus, aut Episcopus in judicio exigere possit decimas sibi debitas?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

zām quod fructus nondum separati ab alijs maneant in dominio illius, cuius sunt prædia, tum quod onus reale fructus habeant, ratione cuius decimari possunt ab eo, qui jus decimandi habet, ad quemcūque possessorem transiverint; postquam verò ab alijs fructibus fructus decimales separati sunt, eorum dominium directum, & plenum ad Ecclesiam spectat, quamvis actualis traditio, sive realis apprehensio nondum sit facta, ob speciale scilicet Ecclesiarum privilegium, vi cuius dominium rei acquirere potest Ecclesia, etiam ante traditionem factam.

## §. II.

*Qua actione Ecclesia, vel ejus loco parochus, aut Episcopus in iudicio exigere possit decimas sibi debitas?*

SI de jure decimandi instituat lis, habet actionem confessoriam utilem Ecclesia, per quam à iudice declarari potest, quod jus decimandi sibi competat. Si verò de decimis, sive fructibus ipsis decimabilibus, nondum tamen separatis à fundo lis moveatur, tum Ecclesia ad separationem, ac solutionem agere potest, conditione ex lege, seu canone, quæ simul est actio in rem scripta, sive rei persecutoria, contra quemvis fructuum non decimatorum possessorem, sive dolosum, & negligentem destructorem juxta *c. pastoralis 28. h. t.* neque tamen exigi decimæ præteritæ ab eo possunt, qui prædium nondum decimatum emit, aut de novo possidet, sed à venditore, sive priore possessore, cum onus decimarum per se non inhaereat fundo, ex

quo solvuntur decimæ, sed solum respectivè, sive in ordine ad fructus, quibus per se & immediatè onus hoc competit.

## §. III.

*Quis sit iudex competens in causa decimarum; & quæ pœna de jure statuta sint in eos, qui decimas non solvunt, quas debent?*

SI quæstio sit de proprietate, sive jure decimarum, ad quem hoc jus pertineat; vel ex quibus fructibus solvendæ sint decimæ; vel si lis moveatur de privilegio, aut immunitate à decimis, vel denique lis moveatur de jure possidendi, ad solum Ecclesiasticum iudicem pertinet in causa tali judicare (cum laici Ecclesiastica negotia tractare non possint *c. 2. de judic.*) qui summariè causam talem cognoscat, & sententiam in scripto ferat juxta *Clement. 2. de P. S.* si verò sit meri facti quæstio, an quis perceperit, vel solverit decimas, vel de nuda detentione, sit controversia &c. causa mixti fori videtur, juxta communem præxin, & consuetudinem. Pœnæ verò, quæ de jure statutæ sunt, in non solventes decimas, quas debent, sunt variz, potissimæ sunt excommunicatio (præmissâ tamen monitione) & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ: quatum neutra tamen à parocho, qui non solutæ fuerunt decimæ, absque superioris Ecclesiastici iudicis commissione infligi poterit, cum nulla illi competat fori externi iurisdicção.

